



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antidecalogvs Theologico-Politicvs Reformatvs

Dript, Laurentius a

Paderbornae, 1672

Articvlvs IX. Contra V. Decalogi Praeceptum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13441

ARTICVLVS IX.

*Continens Propositiones contra
quintum Præceptum à laxistis adin-
ventas.*

I. **I**Nter præcipua secundæ tabulæ post
mandatum de honorandis parentibus,
ad quos post Deum tanquam Deitatis ali-
qualiter participes, ut articulo præcedenti
dictum est, maxima est omnium obligatio:
mox illud subjungitur, quod inter sequen-
tia gravissimū est, scil. non occides, ad quod
aliqua allisisse & allidere eos, qui licitum
putarunt optare mortem parentum fratrum
& sororum ad succedendum in jus primoge-
nituræ & largiorem hæreditatem: superio-
rum ad succedendum vel assequendum ab
eo tanquam sibi offenso liberationem, alte-
rius maritum ad habendam uxorem &c. ibi-
dem quoque ostensum est. Gravius illud
violant qui sentiunt.

Propo-

PROPOSITIO I.

Licet occidere calumniosum actorem. Testes, & injustum judicem, ad servandam vitam, vel res familiares.

2. **S**ed hanc propositionem ad instantiam Episcopi Gandavensis censuravit primum quidem facultas Theologica Lovaniensis Anno 1657. 4. Maijac de post felicissima recordat. Alexander VII. Anno 1665. 2. Off. Volebant nimirum hujus assertionis inventores, ut prætermisso ordine juris, quo aliquis in propria causa judex esse nequit, nec privata auctoritate, nisi naturalis, cum moderamine inculpatae tutelæ defensionis causa, aliquem occidere liceat: Cuilibet privato concedere quod nec Principi de Jure concessum est, ut scilicet pro libitu suo aliquem occideret, vel occidi juberet, nisi forte quem in flagranti homicidij, vel simili crimine apprehendisset.

3. Merito proinde, hanc assertionem præfata schola Lovaniensis judicavit ab omni

nandam execrandamq; Vtpote qua assassinatis, scariatis & intoxicatis temere patrocinetur & iudicibus, advocatis aliisque publicis iustitiæ ministris, quin & ipsis quoque Principibus presentissimum procreet periculum: Et nihilominus quod summæ dolendum, hæ & plures supra adductæ & infra adducendæ sententiæ, ita jam apud recentiores Theologos invaluerunt, ut illis, tanquam certissimis assentiantur: sed generale à S. Augustino allegatum principium corpori Juris Canonici insertum *causa. 23. q. 5. c. 9.* hic ab omnibus attendendum est. *His exceptis, quos vel lex justa generaliter, vel ipse fons iustitiæ Deus specialiter occidi jubet, quisquis hominem vel seipsum, vel quemlibet occiderit, homicidij crimine innectitur: Ex quibus patet quid dicendum ad eas quæ sequuntur.*

PROPOSITIO II.

Licet Clerico & Religioso calumniatorem gravia Crimina de se vel sua religione spargere minitantem occidere, dum alius defendendi modus non suppetit.

4. Hanc

4. **H**anc sed alius ab inventore auctore, & pro-
 babilem asserit, quo tamen non obstantem
 tanquam improbabilis & scandalosa, ab *Un-*
versitate Lovaniensi, & sede Apostolica anno
& diebus, quibus supra, condemnata est.

PROPOSITIO III.

Religiosus, qui fragilitati cedens femi-
nam vilem cognovit, qua id sibi hono-
ri ducens illum infamat, potest illum
licite occidere.

5. **C**ujus, si rationem inquiras, non alia
 quam quod talis religiosi (præter-
 tum si sit Prælati aut in dignitate constitu-
 tus) fama & honor pluris fiat, ex moralizati-
 onem, quam vita vilis sceminae, adeoque
 pro illa conservanda, hæc prodigi poterit
 sed huic opponitur *Regula à S. Augustino*
 mox allata, & naturalis bonorum naturali-
 um subordinatio, in qua primum locum bo-
 na animæ, secundum corporis, tertium fo-
 rtunæ, & quartum fortunæ obtinent, quæ ni-
 aliud

aliud lex, vel justus judex secundum allegata & probata judicaverit, observari debet. Ut si eam quam indignum sit ejusdem iniquitatis reum privatâ authoritate in Complicem sibi officium Judicis, Executoris & Carnificis, arrogare: nec accusatum, nec citatum, nec auditum, contra jus divinum, & naturale, ne relicto quidem pœnitentiæ tempore, quoad animam simul & corpus, ob vanam famæ suæ existimationem trucidare. Quod si adulteræ à marito in crimine deprehensæ licitum est eundem se ob hanc causam interficere volentem etiam præveniendò ob vitæ suæ defensionem occidere, hac de causa quia is in tali occasione privata authoritate judicis & executoris officium sibi arrogat utique pari & majori jure id defloratæ in defloratorem etiam Religiosum licitum erit. Ex quo quales consequentiæ deriventur quis facile conspicit.

PROPOSITIO IV.

Licet occidere Invasorem etiam fugientem post alapam impactam, aut illatam calumniam.

S

Propo-

PROPOSITIO V.

Licet acceptare duellum pro defensione honoris, & occidere provocantem.

6. **F**undamentum prioris est iusta defensio & iniuriæ vindicatio, posterioris verò, quod crudelis sit, & dicatur qui famam negligit c. nolit. 12. q. 1. & non minor sui infamia timor quam mortis l. isti quid. 8. §. penult. ff. quod metus causa, fama q. & vita paribus passibus ambulent l. iusta caus. 9. ff. de manumiss. Sed fundamentum prioris ex se ipso attentis fundamentis S. Augustini ipsiusque decalogici præcepti, omnem hominis privata auctoritate, extra necessariam cum moderamine inculpatae tutelæ factam defensionem vetantis corrumpit.

7. Ad fundamentum posterioris respondetur: Judiciorum Jurisque publici tutelam ad hoc constitutam, ne quisque sibi ipsi presumere valeat ultionem; nunquam enim erit quieta & tranquilla respublica, si quoties quis injuriâ oneratus integrum illi fuerit

provo

provocare injuriantem ad arma & cum eo
 in arenam descendere; Vnde ad argumenta
 in contrarium allata negatur illum famam
 negligere qui duellum recusat, cum alia sup-
 petant justæ defensionis media: Si recusans
 duellum asserat, se quocunque loco fuerit,
 ad defensionem paratum fore, nec pedit
 alterius metu loco moturum aut alio decli-
 naturum. Quod verò liceat vitæ invasorem
 cum moderamine inculpatae tutelæ occide-
 re, hinc fit, quod eo casu vita propria alio
 modo conservari nequeat, quod in defensi-
 one honoris famæ & fortunæ locum non ha-
 bet, maxime dum cessat actualis invasio, quæ
 utique fugiente illo, qui injuriã intulit cessat:
 Merito proinde *ultima assertio à sede Apo-
 stolica, ut scandalosa est anathematizata*, sed
 jam diu ante *Gregorius XIII.* ut refert *Mar-
 tinus Delrio Disq. Magic. lib. 4. cap. 4.* hanc
 sententiam anathematizarat *Anno 1582. 9.*
Decembr. & ante eum Concil. Trident. sess. 25.
de reform. cap. 19. Detestabilis inquit duell-
lorum usus fabricante diabolo introductus, ut
cruenta corporum morte animarum etiam
perniciem lucretur ex Christiano orbe penitus

S 2

exter-

exterminetur. Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocumque alio nomine Domini temporales, qui locum ad Monomachiam in terris suis inter Christianos concesserint: eo ipso sint excommunicati ac jurisdictione & dominio civitatis, castri aut loci in quo, vel apud quem duellum fieri permiserint, quod ab Ecclesia obtinent privati intelligantur: & si feudalia sint directis Dominis statim acquirantur. Qui vero pugnam commiserint, & qui eorum patrini vocantur excommunicationis ac omnium bonorum suorum proscriptionis ac perpetuae infamiae notam incurrant. Et si in ipso conflictu decesserint perpetuo careant Ecclesiastica sepultura. Quas poenas ad spectatores & suasores quoque extendit. Ex quibus infert *Delrio* illos quoque in has poenas incidere qui dicunt veni ad talem locum, ego te illic crastali, vel tali hora expectabo. Nec hic sinit novarum ad inventionum temeritas: forte quis putabit magnam quantitatem bonorum fortunae requiri, ut licite quis in vasorem occidat. Et ecce contrarium.

Propo-

PROPOSITIO VI.

Licet occidere invasorem usurpantem rem, quæ tantum est valoris unius aurei.

8. **V**bi bene notandum, quod dicitur usurpantem rem, ut est in præfenti, & post impactam alapam fugientem, per quod ostenditur, jam in possessione esse, & cessasse violentam invasionem, adeoque abesse moderamen inculpatæ tutelæ, dum pro auro & laesione honoris, quæ alio modo reparari possent, vita tollitur, quod si licitum fuerit talem invasorem occidere multo magis licebit Judicem injuste talem aureum abjudicantem interficere, cum ex *Isidoro Pelusio* *ta multo pejus & deterius sit injustam sententiam ferre, quam injuste agere, gravius enim ait Isidorus Hispalensis lib. 3. sent. cap. 52. Lacerantur pauperes à pravis iudicibus, quam à cruentissimis hostibus. Nullus enim prædo tam cupidus in alienis, quam iudex iniquus in suis. Latrones in accessis faucibus ac latebrosis la-*

rentes insidias ponunt; Isti palam rapacitatis avaritiâ seviunt, hostes in alienorum tantum sanguinem intendunt: Judices quasi crudelissimi carnifices civium oppressione sua subditorum vitam extinguunt.

9. Sed & majorem Judicibus culpam habent Principes, utpote pravorum Judicum institutores, cum plus culpæ habeat mandans & committens, quam mandatarius & commissarius, & quod quis facit per alium per se fecisse censetur secundum *reg. jur. in sexto*. Princeps enim ait: *Sarisberiensis in Político tenetur de omnibus, & omnium author esse videtur, & Isocrates serm. 44*. Principem alloquens: *Imperium gerens inquit, nullius mali Athei aut Pseudopolitici opera ad gubernandum utitur, illius enim peccatorum causa in te referentur*. Quod igitur de Judice, id servata proportione, Principi quoque applicari potest. Quod si quis quærat, qualiter se habere debeat, si ab aliquo quod nondum possidet, sed ad quod proximam expectantiam & jus inchoatum habet, ab altero deturbetur vel impediatur, respondet alter laxista.

Propo-

PROPOSITIO VII.

*Eodem modo non solum licet defendere,
quæ possidemus, sed etiam ad quæ jus
inchoatum habemus.*

10. **E**X qua subinfertur Author hoc modo:
quare licitum erit tam hæredi quam
legatario, contra injuste impediens, ne
vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se
defendere, sicut & jus habenti ad Cathedram
vel præbendam, contra earum possessionem
injustè impediens. Sed iis refutandis im-
morandum non est, quastam censura Ro-
mana quam Lovaniensis sufficienter refu-
tavit.

PROPOSITIO VIII.

*Tyrannum qui vis privatus, privatâ au-
thoritate occidere potest.*

HAnc sententiam in odium religionis ac
Summi Pontificis Catholicis affingit
Theodorus Reinkingh in tract. suo de Regimine

seculari & Ecclesiastico lib. 1. class. 2. c. 8. n. 22.
 ubi ait: eadem Religionis specie simplicioribus
 persuaserunt subditis fas eis esse ex jussu Pon-
 tificis ac magistratus ordinarij non viventis
 ad nutum Pontificis, jurisdictione se eximere
 Regesq; ac Dominos interficere, ac parricidiis
 istis & sceleribus, in præmium obedientie re-
 ligiosa, eternam vitam mereri, Idque proba-
 re conatur trium vel quatuor summorum
 Pontificum, & illius Monachi Dominicani,
 qui *Henricum* tertium, Galliarum Regem,
 cultro in viscera adacto, interemit exemplis.
 Nimirum ut totam Religionem Romano &
 vere Catholicam redderet odiosam, uno
 aut altero exemplo à particulari ad univer-
 sale procedit ordine sane præpostero, sed pro-
 pter se necessario commutato: Adductum
 exemplum de *Gregorio VII.* quasi is *Henri-
 cum* tertium interfici mandarit, auctoritate
 & testimonio *Goldasti* eiusdem secum reli-
 gionis & in religionem Catholicam sedem-
 que Apostolicam affectionis astruit; quod, si-
 cut & alia quæ de Romanis Pontificibus ex
 testimonio sui similium adducit eadem qua
 asseruntur auctoritate negantur; Odium &

capita-

capitales inimicitiae testimonij vigorem tollunt. De Monacho Dominicano historia plus quam certa, sed nunquid ideo omnes Catholici sic sentiunt? an quia unus aut alter Lutheranus etiam Prædicans vel minister impie vivit, omnes etiam Lutherani impii censendi sunt? quasi verò nec similia homicidia apud ipsos patrarentur.

12. Certe non habent *Lutheri & Calvinii* affectu quod nobis obiiciant, si semetipfos in speculo diligenter inspiciant, nec sunt inter ipsos tot sancti, quot capita: ubi triticum ibi Zizania, ubi lilia ibi lolia, interim *utile non debet vitari, per inutile reg. juris in 6to.* Maxime cum apud ipsos homicidia, adulteria, blasphemiae &c. nec peccata sint, nec à vita æterna assequenda, modo fides adsit, impediant: Ita clarissimis verbis Doctor *Martinus Lutherus* serm. de piscatura Petri, erga Deum inquit, *non operibus sed nudâ fide indigemus. Debemus enim cum Isaac, id est, cum fide venire, servos & asinos, hoc est opera deorsum demittere oportet. Quanto sceleratior es, tanto citius Deus gratiam suam infundit; se adorne te, ut Catus bonis operibus, ut te Deus*

S 5

acceptet,

acceptet, nihil efficies. Et in commentario super
 Evangelium Dominica octava post Trinitatem
 nullum opus ait tam malum est, quod hominem
 damnare queat, neque ullum tam bonum quod
 salvare possit: Caterum sola fides salvat sola
 incredulitas damnat. Et denique Epist. 23. ad
 Phil. Melanchronem sufficit, ait: quod per di-
 vitias gloriae Dei agnovimus agnum, qui tollit
 peccata mundi: ab hoc enim non avellit nos
 peccatum, etiamsi millies millies uno die for-
 nicemur & occidamus.

13. Falsum proinde est Catholicos, aut
 sensisse aut sentire allegatam assertionem:
 Verum distinguunt in hoc Theologi, quod
 vel Tyrannus sit in pacifica possessione Re-
 gni vel principatus per tyrannidem & inju-
 stitiam occupati, vel adhuc vigent bella & ar-
 morum strepitus: si prius nequaquam licet
 privato, privata eum auctoritate interficere
 & occidens indubitatus homicida est, quod
 si adhuc viget armorum strepitus, cuilibet
 privato eum interficere licitum est, eo quod
 censeatur actualis miles contra ipsum: sic
 Aod sustulit e medio Eglon Regem Moabi-
 tarum injustum oppressorem filiorum Israel
 Judith

Judith Holofernem actualem alieni Regni, & injustum inuasorem, *Brutus, Cassius & alij Julium Caesarem* : licitum est enim cuilibet, innocentem ab alio injustè oppressum defendere, si aliter liberari nequeat, sicut & militi hostem sui Principis, territorij, suumq; injustum in vasorem jure vindictę occidere.

14. Sciendum etiam tyrannum quoque dici illum, qui licet sit legitimus princeps, tyrannicè tamen principatum administrat, ob sua privata commoda absque intuitu boni publici subditos onerando exactioibus & tributis condendo leges iniquas &c. At hunc nequaquam privatâ auctoritate occidere licet. *Serui* inquit *S. Petrus 1. Epist. c. 2.* *subditi estote in omni timore Dominis non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis.* Jubetque sacra scriptura parere superioribus etiam ethnicis quemadmodum exemplo suo ipse salvator docuit, gentili Imperatori parendo, tributum solvendo & solvi mandando.

15 Ecclesiæ tamen mentem clarissimè demonstravit *Concilium Constantiense sess. 15.* ubi inter alios condemnatus quoque fuit hic

articulus: *Quilibet Tyrannus potest & debet licite & meritorie occidi per quemcumq; vassallum suum, vel subditum etiam per clandestinas insidias & subtiles blanditias vel adulationes non obstante quocunque prestito iuramento seu confederatione factis cum eo, non exspectatâ sententiâ vel mandato iudicis cuiuscunque.*

Homicidio gravius est suidium, dum quis sibi ipsi violentas manus inijcit ac seipsum perimit, eodem, quo homicidium, precepto vetitum; illius aliquo modo patroni sunt, qui iudicant.

PROPOSITIO IX.

Minor est obligatio cavendi suidium, quam altericidium.

16. **H**anc sententiam tenet ille, qui docet: non teneris strictius tenon occidere quam proximum: Imo forte minus strictè. Sed longe aliter *S. August.* Parricida inquit *tanto sceleratior est, quam quilibet homi-*

homicida: quia non tantum hominem sed propinquum necat, & in ipsis parricidis, quanto propinquiorem quis occiderit, tanto iudicatur immanior: sine dubio peior est, qui se ipsum occidit, quia nemo est homini se ipso propinquior: Accedit quod suicida seipsum tam quoad corpus quam animam jugulet. Committendo ipso trucidationis actu peccatum mortale, quorum alterutrum saltem in altericidio abesse potest; Videtur nihilominus hanc sententiam auctor exquisivisse, ut esset sequentibus fundamentum.

PROPOSITIO X.

Potest Index reo precipere, ut sententiam mortis in semetipso exequatur.

PROPOSITIO XI.

Iuste damnatus, ut fame pereat, potest oblatum cibum respuere.

PROPOSITIO XII.

Milites navales licitè ignem injiciunt in pulverem sulphureum se conijciendo in mare, ut acerbiozem mortem evadant, & ne navis in hostium potestatem deveniat.

17. **S**ed eliso, per *S. Augustinum* allato fundamento, ruunt etiam ambæ propositiones eidem superstructæ; futilis proinde est illa ejusdem inventoris argumentatio; *Valde moderate procedemus si dicamus eodem modo teneri hominem ab homicidio sui quo ab homicidio alterius: At in Republica auctoritas ut possit carnifici præcipi occisio alterius hominis rei, ergo & erit, ut eidem si reus sit, possit mandari occisio sui ipsius: Negatur enim antecedens, ad cuius probationem respondetur disparitatem à Sancto Augustino esse allatam. Cui accedit amor naturalis quo omnia etiam irrationalia connaturaliter ad conservationem sui ipsius in esse tendunt. Soliusque illius sit per*

se vel suos vicarios justitiâ & bono publico sic exigente vitam tollere, qui dedit: si proinde iudex reo sui ipsius interemptionem præciperet, illi tanquam iniquè & contra legem Divinam ac naturalem præcipienti, reus nec teneretur, nec posset parere.

18. Eodem modo, nec à suicidio excusantur milites pulverem nitratum incendentes, cum æque ipsi privata auctoritate extraordinem defensionis naturalis adeoque contra divinum & naturale præceptum se perimant: Nec ligat si dicas hanc sui ipsius peremptionem fieri indirecte, non enim talis se ipsum perimit, sed impetus turris aut navis: certum est enim talem vere intendere suicidium non minus quam *Saul* gladio incumbens, & ita se interimens. Quia enim talis actio *Saulis* ex sua natura ordinabatur ad suicidium, hinc suicida appellatur. At non minus actio militis pulverem nitratum incendens eo ordinatur, erit proinde par ratio: Longe aliud est de milite stationem etiam in certissimo mortis periculo non deserente, reo ex carcere, dum potest, non fugiente, peste infectis serviente &c. Tales enim
actio-

actiones earumve omissiones, non ex natura sua, sed per accidens & voluntate alterius ad occisionem tendunt, suntque potius non conservatio vitæ, quam violenta ablatio.

19. Nec est generosi & militaris, sed abjecti animi mortem sibi accelerare timore mortis acerbioris, vel conservationis navis, quæ est bonum inferius vita hominis. Unde S. Augustinus lib. 1. de civit. Dei c. 22 quicunque ait in seipsis hoc perpetraverint, animi magnitudine fortasse mirandi, non sapientia sanitate laudandi sunt: quanquam si rationem diligentius consulas, nec ipsa quidem animi magnitudo recte nominatur, ubi quisque non valendo tolerare vel quæque aspera, vel aliqua peccata se ipse interemerit. Magis enim mentis infirma deprehenditur, quæ ferre non potest, vel duram sui corporis servitutem vel stultitiam vulgi opinionem: Major quæ animus merito decedendus est, qui vitam ærumnosam potest ferre quam fugere. Cui consonat Seneca Epist. 24. Vir fortis & sapiens ait: non fugere debet vitæ sed exire & Epist. 70. stultitia est timore mortis mori: venit qui occidat, expecta quid occupas? quare suscipis aliena crudelitatis pro-

rationem

rationem? utrum invides carnifici tuo, an
parcis?

20. Denique clarissimis & paucis verbis
Doctor Angelicus tres relatas propositiones
enervat, dum 2.2. questione 69. a. 4. ad. 2. nul-
lus condemnatur ait: quod sibi ipsi inferat mor-
tem, sed quod ipse mortem patiatur, & ideo
non tenetur facere id, unde mors sequatur,
quod est manere in loco unde deducatur ad
mortem; tenetur tamen non resistere agenti,
quin patiatur, quod justum est eum pati, sicut
etiam si quis sit condemnatus ad mortem, ut fa-
me pereat, non peccat, si cibum sibi occulte mi-
nistratum sumat, quia non sumere esset sei-
psum occidere. Cum autem idem sentiat
Doct. Angelicus 2.2. q. 46. a. 5. ad 4. Nulli lice-
re se ob quamcunq; etiam causam occidere,
consequenter judicat in casu proposito ta-
lem teneri cibum sumere, ne suicidium & ex
hoc homicidium & consequenter peccatum
mortale incurrat, transitus ait S. Thomas loc.
cit. ad ar. 3. de hac vita ad aliam felicioram,
non subjacet libero hominis arbitrio, sed pote-
stati divine, & ideo non licet homini se ipsum
interficere, ut transeat ad felicioram vitam, si-
militer

militer etiã, nec ut quaslibet miseras evadat,
 quia ultimum malorum hujus vite & maxima
 terribile est mors, & ideo inferre sibi mortem,
 ad alias vite hujus miseras evadendas est ma-
 jus malum assumere ad minoris mali vitatio-
 nem. Similiter etiam non licet seipsum interfi-
 cere propter aliquod peccatum commissum,
 tum quia in hoc sibi maxime nocet quod sibi
 adimat necessarium pœnitentiæ tempus: tum
 etiam quia malefactorem occidere non licet nisi
 si per judicium publicæ potestatis. Similiter
 non licet etiam mulieri seipsam occidere ne ab
 alio corrumpatur, quia non debet in se com-
 mittere crimen maximum, quod est sui ipsius
 occisio, ut vitet minus crimen alienum: non
 enim est crimen mulieris per violentiam viola-
 ta, si consensus non adsit; quia non inquinatur
 corpus nisi de consensu mentis, ut Lucia dicit:
 Constat autem minus esse peccatum fornicatio-
 nem vel adulterium quam homicidium, &
 præcipue sui ipsius quod est gravissimum, quia
 sibi ipsi nocet, cui maximam dilectionem de-
 bet. hæc D. Thomas.

21. Quæ omnia pulcherrime ad nostrum
 intentum deducit Covarruvias tom. 2. lib.

6. 2. n. 8. ubi, postquam dixisset: *Licuisse martyribus in carcere tyrannorum manere, nec peccasse ideo ob rationem D. Thomae, mox subiungit: Secundo infertur nunquam licuisse, nec licere, divinâ jussione seclusâ, etiam ex causa religionis & martirij ratione in fidei testimonium, cuiquam seipsum jugulare: seipsum veneno occidere, aut actum morti immediatum exercere; Nec enim ita Deus Opt. Max. Jesus Christus religionem fidemque Christianam instituit, ut necessarium sit vel expediens, quendam in se ipsum crudelem committere executionem. Nec actus is, ex quo immediatè sequitur mors, potest ex aliqua causa reddi licitus &c.*

22. *Tertio infertur esse verum, nulli licere sibi mortem conscissere etiam ob evitandum stuprum, ob evitandum aliud quodcunq; peccatum: pati enim omnia mala debet quis potius, quam peccato consentire, non tamen gravissimum homicidij crimen admittere ob alterius crimen avertendum.*

Quarto hinc colligi poterit damnatam etiam iuste, ut fame moriatur, omnino peccare mortaliter, & seipsum occidere si oblatos sibi cibos noluerit sumere.

23. In

23. In foro etiam externo gravius abimari sui-quam homicidium, si non sit voluntarium & latrocinium: ex pœna utriusque ordinarie imponi solita, colligitur: homicida enim capite minuitur: suicidæ verò cadaver ad caudam equi alligatum per publicas plateas raptatum capite bidenti seu furcæ ad omnium spectaculum & terrorem imponitur: quasi reus nec pœna capitis, nec patibuli sed atrociori supplicio sit dignus.

24. Sui- & homicidio succedit fœticideum sive occisio fœtus in utero matris existentis: Certum est enim fœtum utero materno conclusum aliquid hominis esse, sive quod homo infallibiliter & connaturaliter ex eo fiat, sive quia est aliquid matris & quasi pars ipsius. *Membrum interius matris ait S. Thomas p. 3. q. 68. a. 11. ad. 2. Est aliquid eius per continuationem & unionem naturalem partis à toto: puer autem in utero matris existens, est aliquid eius per quandam colligationem corporum distinctorum; & ff. lib. 25. tit. 4. l. 1. § 1. partus antequam edatur mulieris est portio vel viscerum*

25. Quærit Lessius de Jure & Justit. lib. 2. c. 9.

2. e. 9. dub. 10. *An ad conservationem vite matris liceat præbere pharmacum, quo proles putetur moritura, & resp. negative, sive sit ante sive post animationem prolis. Ita Covarm. & Clementina si furiosus p. 2. §. 3 n. 1. asserens Communem omnium sententiam ex Petro Navarr. lib. 2. c. 3 n. 140. Non quidem post animationem, quia est directa occisio innocentis, ad alterius conservationem, cui constituitur pœna mortis l. pen. c. de sicariis & l. diuus π. de extraordinariis criminibus, nee ante, quia procurare abortum propter sanitatem est illicitum: sicut procurare pollutionem propter eundem finem. Vtrumque enim est, contra naturam generationis, neque est medium per se necessarium ad sanitatem.*

His tamen non obstantibus repertus est qui asseverare ausus fuit.

PROPOSITIO XIII.

Probabile est fœtu necdum animato licere procurare abortum ad vitandum scandalum, aut mortem.

26. Ex

26. **E**X quo apparet (pergit assertor) non facile condemnandam puellam abortum facientem, cum nondum est animatus foetus, ne deprehensa gravida, occidatur vel diffametur, ac ita pro medio evadentis diffamationem vel mortem (qui casus raro contingit) assumitur vel homicidium, si anima rationali foetus animatus sit, vel foeticidium si nondum; ut talis ergo ex humana fragilitate forte lapsus evadat mortem, quæ corporis, vel diffamationem quæ minus malum est, committet mortale peccatum, quod animæ malum & mors est (cum peccato mortali perdatur vita animæ Deus) committendo homi-vel foeticidium: esse autem foeticidium sive animatus sive nondum animatus sit foetus unanimiter sentiunt SS. Patres & Ecclesia vetus. Vnde Tertull. in Apolog. c. 19. nobis ait homicidio semel interdicto, etiam conceptum in utero, dum adhuc sanguis in hominem delibatur, dissolvere non licet, homicidii festinatio est, prohibere nasci, neque nati quis eripiat animam an nascentem disturbet, homo est & qui est futurus, & fructus omnis jam in semine est; cui consonans, S. August. sermone de conceptione, que hoc eorum dicitur nec aliam accipere per quod parere potest esse.

gust. sermone de conceptione, que hoc eorum dicitur nec aliam accipere per quod parere potest esse.

27.

Stochium, nesruan, Ecclesia, num sum, liber in, viduas, tiam, me, sumor, rus sancti, eta cerv, Alia ver, sati hom, dum sen, venena

gust. serm. 244. de tempore, nulla mulier ait, potationes ad abortum accipiat, nec filios aut conceptos, aut jam natos occidat, quia quacunque hoc fecerit, ante tribunal Christi sciat se eorum causam, quos occiderit esse daturam, sed nec alias diabolicas potationes debent mulieres accipere; mulier autem quacunque fecerit hoc, per quod jam potest concipere, quantoscunque parere poterat, tantorum se homicidiorum rem esse cognoscat.

27. Et S. Hieronymus Epist. 28. c. 5. ad Eustochium: Piget dicere ait, quod quotidie virgines ruant, quantas de suo gremio perdat mater Ecclesia, super qua sidera inimicus ponat thronum suum, quot petras excavet & habitet coluber in foraminibus earum. Videas plerasque viduas antequam nuptas infelicem conscientiam, mentita tantum veste, protegere, quas nisi tumor uteri & infantium prodiderit vagitus sanctas & castas se esse gloriantur & erecta cervice & ludentibus pedibus incedunt: Alie vero sterilitatem praeibunt, & necdum sati hominis faciunt homicidium: Nonnullae dum senserint se concepisse, de scelere abortij venena meditantur, & frequenter etiam ipsae

commor-

commortue trium criminum rea, ad ultimos
deducuntur: homicida sui, Christi adultera,
necdum nati filij parricide. Cui consentiens
Synodus Wormatiensis c. 35. & poenitentiale
Romanum. Illa: Mulieres ait quæ ante tem-
poris plenitudinem conceptos utero infantes
excipiunt, ut homicida procul dubio judican-
de sunt. Hoc verò: si quis ait explenda libidi-
nis vel odij meditatione, ut non ex eo soboles
nascatur, homini vel mulieri aliquid fecerit
vel ad potandum dederit, ut non possit generare
vel concipere, ut homicida teneatur.

28. Quæ verba SS. Patrum licet clarissi-
ma, nihilominus audent Neoterici quidam,
foeticidij & homicidij iniqui patroni ever-
tere, ipsa probabiliter esse licita asseverantes:
idque ne mater gravida deprehensa diffame-
tur, aut mortis periculum incurrat; cuiusque
ordinarie, extra matrimonium diffamatio
sequatur, ordinarie quoque secundum hos
erit licita foetus vel occisio vel expulsio.

Certe aliter sensit *jus civile*, Constitutio cri-
minalis Caroli V. & Doctores à Carp^o in
en prax. crimin. q. 11. n. 2. citati. Vnde commu-
nis eorum sententia est, conformiter *juri*

dictæ constitutioni Criminali art. 133. quod si quis partum animatum abigit pœnâ ordinariâ *Legis Corneliæ de Sicariis*: Si verò nondum animatum, pœnâ extraordinariâ, veluti relegatione, fustigatione vel etiam mitiori pro arbitrio iudicis puniatur. Cui consentit *Elector Saxon. parte 4. const. 4.* partum animatum excutienti gladij pœnam præfigens, qui ut etiam tollat omnem de tempore animationis fœtus dubitationem: clausulat constitutionem suam hisce verbis, *quod si fructus fœtus nondum vixerit, & adhuc infra medietatem fuerit, &c.* Non solet autem pœna capitis, fustigationis, vel relegationis, nisi criminibus infligi adeoque qui fixit icidio, vel fœtus expulsionem tales pœnas præfixerunt, gravissimum utrunque crimen esse iudicaverunt. Ut autem anterioris assertionis inventores tanto facilius reddant fœticideum, imò totaliter tollant, ecce novam inventionem, quâ asserunt.

T Propo-

PROPOSITIO XIV.

Probabile est omnem foetum, quamdiu in utero est, carere animâ rationali.

29. **P**ROinde juxta hos, foetus incipiet prius habere animam rationalem dum paritur, quo supposito & veritate assertionis precedentis, consequens est semper licere expellere foetum, & nunquam committi homicidium. *Less.* ubi supra n. 63. non dubitans de animatione foetus in utero adhuc existentis, quærit quâdo proles animetur anima rationali, & respondet improbando *Covarr.* via opinionem, qua putat mares die 49. à conceptu, foeminas 80. animari, & ait, *verius est utrumq; foetum animari simulatq; fuerit formatus*, nam *Exodi 21.* juxta versionem *70.* *Interp.* dicitur *qui percusserit mulierem prægnantem, & illa abortum fecerit, si foetus erat formatus dabit animam pro anima, si non dum erat formatus mulctabitur pecunia*, ubi aperte insinuatur foetum habere animam simulatq; fuerit formatus; idem docet

medici : quoto autem die formatio absolva-
tur: docet *Hipocrates lib. de natura fœtus*; ubi
dicit *maris formationem absolvi die 30. ali-*
quando die 35. aliquando 40. aliquando 45. fœ-
mine vero nunc 30. nunc 35. nunc 40. nunc 45.
nunc 50. huc usque *Lessius ex infallibili scri-*
ptorum testimonio & medicorum (quibus
in sua arte credendum) assertis fœtum in u-
tero materno existentem animari anima ra-
tionali. Cui accedit aucto: *S. Augustini En-*
ch. c. 68. dicentis *negare vixisse puerperia, quæ*
propterea membratim exsecantur, ut eijcian-
tur ex uteris pregnantium, ne matres quoque,
si mortua ibi relinquatur occidat, impudentia
nimia videtur.

30. Foeticidio succedit mutilatio, quæ est
membrum humani, salvâ interim, vitâ totius,
amputatio, quam quoque novantes laxita-
tibus suis involuunt, dum illud, quod sub so-
lius Dei potestate est, hominis dominio
subijciunt, asserentes licere hominem se mu-
tilare vel mutilari permittere. : cum tamen
juxta communem Doctorum sententiam
membrum amputare non liceat nisi propter
bonum totius. Ita *D. Thomas 2. 2. q. 56. a. 1. si*

T 2

membrum

membrum inquit sanum fuerit, & in naturali dispositione consistens, non potest praescindi absque totius corporis detrimento: scilicet quia ipse totus homo ordinatur ut ad finem, ad totam communitatem, cuius est pars, potest contingere, quod etsi abscissio membri vergit in detrimentum totius corporis, ordinatur tamen ad bonum communitatis, in quantum alicui infertur in poenam in cohibitionem peccatorum. Et ideo sicut aliquis per publicam potestatem licite privatur vita propter aliquas majores culpas, ita etiam privatur membro propter aliquas culpas minores. Hoc autem non est licitum alicui persone privatae, etiam volente illo, cuius est membrum, quia per hoc fit iniuria communitati, cuius est ipse homo & omnes partes eius. Si vero membrum propter putredinem sit totius corporis corruptivum, tum licitum est de voluntate illius cuius est membrum.

31. Et ibidem in solutione ad tertium membrum non est praescindendum propter corporalem salutem, nisi quando aliter subveniri non potest, salutem autem spiritualem semper potest aliter subveniri quam per membrum praescisionem quia peccatum subjacet voluntati, & ideo

Et ideo nullo casu licet praecidere membrum propter quodcunque peccatum vitandum; Ex quibus patet quod juxta mentem D. Thome nunquam liceat vel ipsi sibi amputare, vel ab alio amputari permittere membrum aliquod nisi quando aliter toti subveniri non potest, vel quando id fit à publica potestate in ordine ad bonum commune; specialiter autem quod id non liceat propter quodcunque (ut omnis tollatur exceptio) vitandum peccatum: sed utrumque hoc certissimum Doct. Angelici fundamentum evertere conantur laxitatum in vectores, dum docent.

PROPOSITIO XV.

Consentientem filium, pater castrare potest, ut voce & cantu Ecclesie serviat.

PROPOSITIO XVI.

Ad vitandas carnis tentationes, seipsum quis castrare potest.

T₃

32. Prio-

32. **P**Rioris assertionis rationem assignat Auctor, quia certum est magni debere fieri vocis excellentiam, vocis suavitatem, stipendij opulentiam, & apud Reges & Principes auctoritatem: magni inquam debet fieri & majoris quam integritas corporis membrumque corporale & & vita ipsius: Nimirum vult hic author vanam Principum æstimationem & vocis suavitatem, adde lautio-rem conditionem & tractationem præferri posse membris corporalibus, cum tamen bona famæ, & æstimationis humanæ tanquã viliora bonis corporalibus ex natura rei non dominari sed ancillari debeant. Secundã vero ratio est, quod summi debeat fieri conscientie securitas & tranquillitas, pro qua vel obtinenda vel conservanda, poterit adolescens caelebs, qui aliter nescit tentationes carnis superare relicto etiam legitimo matrimonio, quo similes tentationes superare posset, ad remedium castrationis recurrere: supponit proinde author per remedium castrationis posse tentationibus carnis obviari, illaque positã has cessare. Sed mirum estet hæc rationes à SS. Patribus & doctoribus

huc-

hucusque fuisse incognitas. Verum longe aliud & salutaris remedium suggerit sapiens. Sap. 8. ut sci vi inquitens; quoniam aliter non possem esse continens nisi Deus det, & hoc erat sapientia scire, cuius esset hoc donum, adij dominum & deprecatus sum illum. Non ait sumpsi ferrum & castravi me ipsum, sed adij dominum & deprecatus sum illum. Certe castrationem & membrorum genitalium praecisionem non esse conveniens tentationum carnalium superandarum remedium, proque gravissimo crimine sepe in Ecclesia & à SS. Patribus habitum testantur Canones Apostolorum unde Canon. 22. sic habet, si quis abscidit semetipsum, id est, si quis amputarit sibi virilia, non fiat Clericus, quia sui ipsius homicida est, & opificij Dei inimicus. & alter mox sequens, si quis cum clericus fuerit absciderit semetipsum, omnino damnatur, quia suus est homicida.

33. Hoc idem dubium sibi proponit Lessius de jure & justit. lib. 2. c. 9. dub. 14. n. 97. An scilicet ob animae salutem, v. g. ad carnis tentationes vitandas aut superandas liceat se mutilare, & respondet: nunquam licere, rationem-

tionemque hanc assignat, quia id nunquam est medium necessarium ad animæ salutem, non enim membra adferunt homini perniciem (alioqui Deus prave naturam institisset) sed malitia & negligentia liberæ voluntatis. Vnde qui hanc ob causam membrum aliquod secant, tacitam quandam injuriam & blasphemiam Deo irrogant: adde neque etiam conveniens remedium esse, vel utile, quia abscissio seu castratio non tollit tentationes carnis sed solummodo impedit generationem, quin potius illi, qui castrantur, præsertim in virili ætate magis incitantur libidine, ut docent S. Patres: quæ certationes non solum allatis ex adverso rationibus efficaciores sunt, sed eas prorsus everunt. Vnde citatus ab eodem Lessio *Chrysothom 63 in Matth.* neque enim eâ ait, castratione scilicet cupiditatis astus mirigantur, sed graviores inflammatioresq; redduntur.

34. Vnde est & illa S. Basilij *Epist. 87. ad simplicianum in Eunuchos inveciva*, si testibus opus fuerit non sistentur servi, neque ignominiosum illud ac omnibus modis perniciosum *Eunuchorum genus*, genus hoc inquam nequa
fami

foemininum neque masculinum, insaniens in
 mulieres, invidiosum, vilis pretij, animo fero-
 ci, effoeminatum, ventri deditum, auri cupi-
 dum, seivum, inter coenandum plorans, incon-
 stans, illiberale, stabularium, insatiabile, furio-
 sum, Zelotypum, & quod amplius dicendum
 est, cum ipsa statim generatione ferro damna-
 tum: quomodo ergo rectus esse poterit, istorum
 animus, quorum pedes distorti sunt, isti frustra
 casti manent per ferrum, insanientes sine fru-
 ctu propter suam turpitudinem. Id quod et-
 iam lib. de virginitate circa finem ratione &
 exemplis hoc modo confirmat. Neque enim
 ait, pudicitie ratione laudare convenit hujus-
 modi abscissos, quia neque equos, quod cornu
 non impetant laudamus, sed hos quidem, nisi
 calcitent, laudamus, bonos vero, non cornipe-
 tas mansuetudinis gratia suscipimus. Non
 enim quo quisque non potest, sed quo cum pos-
 sit, non ad injuriam utitur admirationi habe-
 tur. Quod si putant abscissionem genitalium
 aliquid ad pudicitiam atque innocentiam ani-
 ma conferre posse, eruant & oculos plurimas
 praeter rationem salutis intuentes. Praecidant si-
 mul & pedes, & manus, & aures, penitus ab-
 stineant

stineant ne quid horum, peccati instrumentum fiat. At id quidem stultum & irrationabile est & insania furorisq³ plenissimum, peccati causam non aliter auferri posse, arbitrari, nisi undique circumcidantur membra omnia, euratione, qua diximus, trunciq³ in morem inutile omnino jaceat corpus, quando sic etiam ex precedentibus imaginibus delusa mens peccet: Justissime proinde à SS. Patribus taxatur & damnatur Origenes, quod incontinentiæ sedandæ causa seipsum castraverit, unde de illo alii que ait citatus ante Basilium, qui non intellexerunt quod dictum est, sunt Eunuchi, qui se ipsos castraverunt, propter regnum cœlorum, se ipsos nimis improbe mutilarunt: ex quibus confectarium est, explosam jam ante secula illam, quam qui supra Author asseruit sententiam scilicet.

PROPOSITIO XVII.

Certius est posse se castrare propter vitam æternam, quod legimus fecisse Origenem & multos sanctos attentasse aut desiderasse, quam ob suavitatem vocis.

35. Vtrum-

35. **V**trumq; enim falsum est, tam prius quã posteriùs, tum quia castratio, ut jam visum, non est medium conveniens ad consequendam, quin potius ad amittendam vitam æternam, tum quia nullus est dominus suorum membrorum corporalium, ut ex auctoritate Doct. Angelici ostensum est, peccat proinde graviter & mortaliter, qui sibi ipsi membra genitalia, quocunque tandem prætextu & fine, nisi ob conservacionem totius præscindit, suiq; homicida est, eo quod membro corporali, animã totius corporis informatã, vitam tollat, cujus solus ille est dominus, qui ait, *ego occidam & vive-
refaciam, percutiam & ego sanabo, & qui so-
lus vite & mortis habet potestatem*, quod bene advertit Covarruvias l. 1. p. 3. n. 8. ubi dicit: *mutilationem membri alicujus homicidio comparari & equipollere, ut quemadmodum hominem occidens dubio procul irregularis est, ita & irregularis erit, qui hominem membro mutilarit: idem probatur ex c. 1. de clericis pugnantibus in duello, cap. in Archiepiscopatu de raptori. c. clericus, ne clerici vel monachi.*

T 6

Articu-